

179

177

183

173

188

168

228

128

278

078

Ende

Anfang

164

fuimus illo sero valde laeti omnes jubilantes, cantantes et fistulantes usque ad tenebras. (63A) Et per totam noctem optatum habuimus ventum.

Tertia decima die in crepusculo invaluit ventus et factus est fortior et aliter mutatus. Gubernatores ergo vela etiam mutaverunt, in revolutione autem antennae navis in partem unam repente inclinata fuit, et peregrini quasi omnes adhuc in lectulis jacentes, de lectulis suis lapsi fuerunt, et fuit magnus terror in carina, sed superius nullum erat periculum. Porro orto jam sole vidimus ad partem sinistram insulam Corziri, quam Corphun nominant, quae est principium Graeciae, de qua dixi fol. 13. et ejus descriptio habetur fol. 184. part. II. Hanc insulam repente postergavimus, quia pestis in ea grassabatur, et progressi mare epyroicum ingressi sumus, et a latere dextro Apuliam habuimus et Siciliam. Illo die felice cursu multas Turcarum insulas postergavimus et transcurrimus. Sole autem occidente conticuit ventus noster prosper et illa nocte paene nihil navigavimus, de quo turbati ideo fuimus, quia dominica instabat dies et sperabamus nos futuros in ea Metonae pro Missarum audientia, sed diabolus hoc non libenter admittit, ut dixi fol. 50. B.

Quarta decima die processimus via nostra et montana Achajae vidimus, ubi prope civitas Patras est, in qua S. Andreas crucifixus fuit, et orto sole stetimus nullum ventorum adjutorium habentes. Post prandium advenit ventus tepidus, qui galēam tarde serpere fecit contra Metonam, quam Modon nominant civitatem, ad quam venire desideravimus. Adversante die venit ventus bonus et fortis, et nos ab aspectu insularum Samafrae tulit, et ad montana Moreac in regionem Carenzae delati sumus et inde in Belventor venimus. Et cum sero factum esset, vidimus ad sinistram Archadiam regionem Turcorum valde bonam. Et ad dextram vidimus insulam quandam sine montibus, quam Strivale nominabant. In hac insula habitant monachi gracci regulae S. Basilii, quos Turci nunquam valuerunt inde ejicere, cum tamen multis conflictus cum eis habuerint. Mox enim ut Turci veniunt, monachi cum armis suis erumpunt, et cunctos contra se venientes in fugam convertunt: hoc totiens fecerunt, quod Turci contra eos

